Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

negauit. Et post pusillum rursus qui astabant dicebant petro. Vere ex illis es. Nam et galileus es. Ille autem cepit anathematizare et iurare. Quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim iterum gallus cantauit. Et recordatus est petrus verbi quod dixerat ei ihesus. priusquam gallus cantet bis: ter me negabis. Et cepit flere. Et continuo mane consilium facientes sumum sacerdotes cum senioribus et scribis et universo concilio: vinctum ihesum duxerunt et tradiderunt pilato. Et interrogauit eum pilatus. Tu es rex iudeorum? At ille respondens ait illi. Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autem rursum interrogauit eum dicens. Non respondes quicquam? Vide in quantis te accusant. Ihesus autem amplius nichil respondit. Ita ut mirarentur pilatus. Per diem autem festum dimittere solebat illis vinctum ex vinctis quemcumque petissent. Erat autem qui dicebatur barabas qui cum seditiosis erat vinctus qui in seditione fecerant homicidium. Et cum ascendisset turba cepit rogare sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis et dixit. Vultis dimittam vobis regem iudeorum? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem conuocauerunt turbam ut magis barabam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens ait illis. Quid ergo vultis faciam regi iudeorum? At illi iterum clamauerunt. Crucifige eum. Pilatus vero dicebat eis. Quid enim malefecit? At illi magis clamabant. Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere dimisit illis barabam et tradidit ihesum flagellis cesum ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum intro in atrium praetorii et conuo

cant totam cohortem

Evangelium correctum